



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXXIII. Clerici obtentu patronatus ab ecclesiis canonice acquisitis non sunt  
amouendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.CAP. XXXII. *Idem illustri Anglorum regi.*

Magnificentiae tuae literas, quas pro R. milite super iure patronatus ecclesiae de Ligurgis, apostolatui nostro serenitas regia destinavit, ea qua decuit benignitate recepimus, promptum animum plenamque voluntatem habentes, excellentiae tuae preces, in quibus cum Deo & honestate poterimus, exaudire. Verum quoniam sanctorum patrum statutis contrarium videtur, si clericos ab ecclesiis, quas canonicè adepti sunt, patronatus obtentu sustineremus amoueri, salva conscientia, praenominato militi non potuimus nostrum in parte ista impartiri fauorem: cum ex hoc ei, si de iure debet habere, praedictum in posterum non generetur.

## CAP. XXXIII.

*Idem archiepiscopis & episcopis per Galliam constitutis.*

Nostris est auribus intimatum, quod nonnulli ambitione nimia tracti, occasione laici vel potentiae saecularis, in saeculari foro, nec requisita episcopi audientia, patronatus ecclesiarum & ecclesiastica beneficia sibi praesumunt in vestris parochiis vendicare. Quoniam igitur huiusmodi personae non intrant per ostium, sed aliunde contendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, ac praerogativa gaudere: fraternitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus eos quos patronatus ecclesiarum vel ecclesiastica beneficia constiterit praedicto modo adeptos, si commoniti minime resignauerint, nisi praescriptione aut episcopali \* confessione muniti fuerint, sublato appellationis diffugio, ab officiis reddatis & beneficiis alienos. Si vero nec sic destiterint, eos vinculo anathematis innodetis, & vsque ad dignam satisfactionem teneatis, & faciatis tenere adstrictos.

\* f. confessione

## CAP. XXXIV.

Ad hoc, quoniam quidam laici ecclesias terris & aliis possessionibus spoliant, vt sic viros ecclesiasticos faciant coram iudice saeculari litigare: praesentium auctoritate vobis iniungimus, vt id publice sub anathematis interminatione curetis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestrae